

LXXX.

Anno 1325. die 9. Februarii. In Vissegrad.

Carolus Robertus Rex privilegia a Bela IV. Rege civibus
Zagrabiensibus collata confirmat.

Karolus, dei gracia Rex Hungarie, fidelibus suis magistro Tauernicorum suorum, Judici curie sue, bano tocius Sclauonie, Comitibus parochialibus seu prouincialibus, Castellaneis item quorumlibet, ciuitatum et villarum Iudicibus seu villicis, ac qualiscumque preeminencie et status hominibus, eorumque vices gerentibus, presentibus et futuris, quouis nomine uocientur, quibus presentes ostenduntur, salutem et graciam. Cum libertas fidelium ciuium nostrorum de monte Greycensi seu Zagrabiensi per dominum Belam quondam inclytum Regem Hungarie, proauum nostrum karissimum clare memorie, mediante suo Priuilegio, data eis et concessa, per nosque tam priori et antiquo quam nouo et autentico nostro Sigillo ipsis confirmata id requirat, ut nullus extraneus seu eiusdem Ciuitatis homo in quibuslibet causis Ciues predice ciuitatis nostre Greycensis seu Zagrabiensis et quemlibet ex eisdem, pariter Jobagiones et populos villarum dicte ciuitatis in territorio existencium, ad nostram seu quorumlibet Iudicum seu Iusticiariorum Regni nostri presenciam valeat euocare seu trahere ordine Iudiciario in causam. Quod si qui aliquid actionis contra eos aut aliquem ex ipsis uel ad ipsos pertinentes habuerint, in presenciam Iudicis seu villici dicte Ciuitatis nostre exequi debeant. Qui quidem Iudex seu villicus ipsius ciuitatis, simul cum prioribus eiusdem ciuitatis, si quibuscumque ex parte suorum conciuum et ad eos pertinencium uel alicui ex eisdem aliquialiter Iusticiam facere neglexerit, non hy, uel Is, contra quos agitur, ymmo idem Iudex seu villicus dicte ciuitatis ad nostram presenciam debeat euocari eo facto, et nos dictos fideles ciues nostros in iam dicta libertate inuolabiliter conseruare intendamus. Vestre fidelitati firmiter precipiendo mandamus per presentes: quod ciues predice ciuitatis nostre, et ad eos pertinentes uel aliquem ex eisdem, in quibuslibet causis motis et mouendis contra quospiam iudicare nullatenus audeatis, sed ut premittitur quicumque contra eosdem uel aliquem ex eis accionem habuerint in presenciam Iudicis seu villici eiusdem ciuitatis prosequantur. Qui si iusticiam cuipiam non fecerit, non hy, contra quos agitur, sed idem Iudex seu villicus sicut prescribitur ad nostram presenciam euocetur. Datum in Vissegrad quarta feria proxima post festum beate Agate Vlrginis et martiris. Anno domini Millesimo trecentesimo XX^{mo} quinto.

Originalis membr. in Archivio Regni Croatiae.